

ADELBERTVS MARCHIO AVSTRIAEC.



**A**Delbertus filius Heinrici Marchionis atque nepos Leopoldi primi extitit. Itaque post patris obitum Austriæ Marchio electus, eam per triginta duos annos magna gloria & felicitate gubernauit. Habuit is Adelheidam Petri regis Vngariæ (qui S. Stephano primo eius regni Christiano principi successit) sororem in uxorem. Cum itaque Vngari factiosi in odium Petri alium regem creassent, Abbam nomine, atq; Petrum expulssent, is se sed Adelbertum affinem suum contulit atque eius opem implorauit. Vnde Vngari maximo exercitu Austriam irrumpentes, partem eius occuparunt. Erat tum Heinricus tertius Imperator bello Lotharingico impeditus, qui indignè Hungarorum iniuriam ferens, Adelberto suam operam est pollicitus, atque eum hortatur ut interea hostibus fortiter resistat.